

Dissertatio inauguralis medico-forensis de via ac ratione, qua morbi simulati deprehendi possint / [Wilhelm Karl Mann].

Contributors

Mann, Wilhelm Karl, 1796-1851?
Kühn, Karl Gottlob, 1754-1840.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Leipzig : J.F. Glück, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kjgd6gzn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
INAVGVRALIS MEDICO-FORENSIS

DE
VIA AC RATIONE, QVA MORBI SIMVLATI DEPRE-
HENDI POSSINT

QVAM
GRATIOSI MEDICORVM LIPSIENSIVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE
D. CAROLO GOTTLÖB KVEHNIO

PROF. PHYSIOL. ET PATROL. PVBL. ORD. UNIVERSIT. LITER. LIPSIENS. DECEMVRO, VTRIUSQVE COLLEG.
PRINCIP. ET MAI. ET MIN. SODALI, FACULTAT. MED. H. T. DECANO, VVARIAR. SOC. ERUDITARUM
MEMBRO HONORARIO ETC.

PRO SVMMIS
IN ARTE MEDICA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

LEGITIME OBTINENDIS

DIE II. MENSIS IVNII A. R. S. MDCCCXX

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS INDVLTV IN AUDITORIO
IVRIDICO HORIS CONSVETIS

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

GVILIELMVS CAROLVS MANN

DESSAVIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIÆ,

EX OFFICINA IOA. FRIED. GLÜCKII.

7110

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILLINOIS

TO THE CHURCH OF THE

THE CHURCH OF THE
THE CHURCH OF THE
THE CHURCH OF THE
THE CHURCH OF THE
THE CHURCH OF THE

THE CHURCH OF THE

THE CHURCH OF THE

THE CHURCH OF THE

THE CHURCH OF THE

THE CHURCH OF THE

INTROITUS.

Saepissime fit, ut morbi simulentur ab hominibus pessimis aut quaestionis criminalis eludendae caussa, aut quoniam poenam meritam sperant se effugere posse. Itaque cum maxime intersit rei publicae, ut ejusmodi simulatio deprehendi possit, medici forensis officium est, ut morbos simulatos a veris distinguere discat. Quare cum haec scribendi opportunitas mihi oblata sit, a speciminis publici edendi ratione minime alienum putavi, hunc medicinae forensis locum brevi disputatione explicare. In qua quidem disputatione hunc ordinem servandum esse duxi, ut praemissis observationibus communibus dicerem de singulis morbis, qua ratione, an simulati sint, medicus forensis cognoscere possit *).

*) Exposnerunt de hoc argumento GALENUS de iis, qui morbum simulant, deprehendendis. Qui brevis commentariolus in vernaculam linguam translatus legitur in PYL's Repert. Bd. 1. p. 39-44. IOH. BAPT. SYLVATICUS in institut. medic. de iis, qui morb. simulant, depreh. Cap. IV. VOGEL de morbis simulatis et quomodo eos dignoscere liceat. Diss. med. for. respond. IANSEN. Goetting. 1769. §. IX. X. XI. XII. XIII. SCHNEIDER Diss. de morborum fictione. Traj. ad Viadr. 1794. 8. p. 11 — 16. MICHAEL ALBERTI jurisprudent. med. Tom. I. c. X. §. I. IV. V. VI. HALLER, Vorlesung. über d. gerichtl. Arzneiwissenschaft. Bd. 2. Tom. I p. 6. u. f. Bern. 1784. FARNER System d. gerichtl. Arzneik. Bd. I. p. 256. Stendel. 1795. HELBIG Bemerkungen über vorgeschützte Krankheiten nebst einigen Beobachtungen in Rust's Magazin für d. gesammte Heilkunde. Bd. VI. Hft. II. p. 170. & a. m.

De via ac ratione, qua morbi simulati deprehendi possint, in universum.

§. I.

Primum igitur in universum opus est, ut medicus forensis omnium earum rerum notitia instructus sit, quibus omnino morbus cognoscitur, de quibus, quoniam in psychologia, semiotica et pathologia docetur, hoc loco non exponendum est. Sed hoc unumquemque concessurum esse puto, si simulatus sit morbus, accuratiori cognitione istarum rerum opus esse, quoniam tam callidi sunt et versuti saepe ejusmodi homines, ut symptomata morborum, quae in aliis observaverint, felicissime imitentur. Sed haec illorum symptomatum observatio non sufficit apud illos homines partim propterea, quod suspicio judicis et ipsius medici forensis, morbum aliquem esse simulatum, etiam si aucta et fere confirmata fuerit arte medendi frustra adhibita, tamen medici sagacitatem fallere pergant, quoniam omnia alia pati parati sunt, ut morbi veri beneficio potiantur. Constat enim morborum caussa non tantum facinora quaedam non imputari, sed etiam ipsam poenam minui, nonnunquam etiam morbos simulari, ut ab oneribus, v. c. militia, suscipiendis homines ignavi liberentur. Itaque ante omnia opus est singulari ingenii humani cognitione magnaue experientia et vario usu, ut hominem, morbum simulantem, ita quaestionibus aliisque modis capere medicus possit, atque is cavebit sibi, ne ille medici consilium suspicetur. Itaque medicus comiter ad eum accedat, simulet misericordiam, et suspicionem suam diligentissime dissimulet. Nam quo magis tutum se ille putabit a medici sagacitate, tanto facilius simulationem suam incautus prodet. Sed in singulis casibus examinandis haec potissimum observanda sunt. Primum videndum est, an morbus, quem quis simulare videatur, ejusmodi sit, ut homo eum facile imitari possit. Nam facilius simulatio locum habet in ejusmodi morbis, qui ad functiones corporis nostri pertinent, quae sunt voluntati subjectae, quam in iis morbis, qui ex laesione functionum organicarum, quas dicunt, oriuntur. Deinde videndum est, an natura, sexus, vitae anteactae ratio, morbi, quos simulatorem ante habuisse constat, causam praebeant disceptandi de morbo, quem nunc illum simulare suspicemur. Est enim ma-

nifestum, augeri suspicionem, si nulla caussa reperiatur, qua illum morbum vere effectum esse credamus. Quam ob rem multum proderit, diligenter quaerere, an morbus praesens subito, quod vulgo simulant, exstitisse dicatur. Praeterea quaerendum est, an ille, quem morbum simulare suspicamur, tali ingenio praeditus fuerit, ut ejusmodi simulatio moribus ejus conveniat. Deinde diligenter circumspiciendum est, an caussas habere possit, cur ejusmodi simulationem susceperit, ideoque de singulorum morborum simulatione quaerendum est, quem fructum ille ex fraude reportare queat. In ipsis autem quaestionibus caute instituendis ita versandum est, ut hominis confidentiam nobis paremus, ideoque non solum ita cum eo agendum est, quasi nihil fraudis suspicemur, sed etiam simulato studio hoc efficiendum, ut aegrotus nihil aliud velle medicum putet, quam ut morbi veri caussas cognoscat. Quae quidem in simulando patientia tam felicem nonnunquam successum habet, ut callidissimus simulator se ipsum incautissime prodat. Saepe etiam interrogationibus humanis veluti extemplo factis simulator capitur. Narrant erronem, qui mutum se simulaverat, medico comiter interroganti, a quo tempore usum linguae amisisset, respondisse, se inde a prima pueritia mutum fuisse. Porro diligenter observandum est, an status aegroti continuus sit. Multi enim certis temporibus exacerbatum esse morbum simulant, veluti qui auditus difficultate laborant, difficilius se audire simulant, cum quaestio criminalis imminet. Neque parum refert observare, quomodo aegrotus se gerat, si medicina sumenda est. Potest enim multorum simulatio deprehendi, si talis medicina iis propinatur, quae maximum iis taedium faciat, praesertim vero si medicina data fuerit, cujus effectum, a medico promissum, stulti simulent et ostentent. Praeterea incautus medici repentino adventu opprimendus est, imprimis eo tempore, quo morbi simulati paroxysmo se laborare simulaverit. Multum etiam proderit homines incautos observare, cum solos se esse credunt, aut si res ferat, animum eorum subito commovere, ut simulationis suae obliviscantur, et personam susceptam imprudenter abjiciant, quod in hominibus v. c., qui surdos se esse simulabant, repentino clamore a medico facto aliquoties accidit. Sed in mediis ejusmodi psychicis caute versandum est. Quamquam enim utilissimum neque injustum est, metu animum commovere, rarissime tamen ultra ipsum modum progredi licet. Poterit contra medicus audiente

aegrotis, loqui de remediis in hoc morbo adhibendis, eorumque dolores, pericula, aliis adstantibus, quasi non audiat ipse aegrotus, enarrare. Poterit ei timorem incutere tristissima mediorum atrocissimorum descriptione. Sed ejusmodi remedia vere adhibere, nisi certissime indicata fuerint, medico non licet. Hoc enim non minus injustum foret, quam cruciatibus extorquere confessionem veritatis. Denique per se intelligitur, medico opus esse certis et fidis hominibus, qui custodiant et observent simulatorem, atque omnia ad medicum referant. Quales homines, ut magistratus habeant, majori cum studio, quam vulgo fit, curandum est.

His in universum monitis, de singulis morbis, qui vulgo simulantur, deinceps dicamus. Sunt autem duo istorum morborum genera. Unum est eorum, qui sola voluntate simulari possunt, ut epilepsia, tetanus, rabies canina, chorea St. Viti, sensuum defectus, rheumatismi, arthritis, capitis et dentium dolores, vertigo, et alii. Alterum genus est eorum, quos simulator veluti artificio quodam effecerit, ut vera esse videantur, v. c. febres, haemorrhagiae, rerum alienissimarum excretiones, exanthemata, ulcera, mutilationes et alia. De his singulis seorsim dicemus.

§. 2.

De via ac ratione, qua morbi simulati deprehendi possunt, speciatim.

a.

Epilepsiae simulatio.

Nullus morbus frequentius simulari, quam epilepsia, solet, quae utrum vera, an simulata sit, ante omnia opus est, ut paroxysmus observetur. Incidit autem huius morbi paroxysmus raro sine nunciis quibusdam, qui statum magis minusve spasmodicum in universum indicant. Saepe tamen illi desunt et aegrotus quasi fulmine tactus subito in terram projicitur. Itaque videndum est, utrum statis periodis red-

eant insultus, an certis tantum periodis, quibus aut interrogandus, aut coërcendus est simulator. Itaque, solutis omnibus vinculis, certa pathognomica signa insultus epileptici observanda sunt. Et primum quidem videndum est, quomodo procumbat aegrotus, an caute fiat et cum loci selectione, ut laesiones graviores vitentur, quod imprimis facere simulators solent. Nam qui vere epilepsia laborat, is quocunque loco imprudens procumbit, dentibus se laedit, linguam, labia mordet, palpebrae aut clausae sunt, aut immotae patent, oculi volvuntur ferociter, aut fixi torpent, pupilla aut contracta est, aut dilatata et sensu luminis carens. Itaque lumen oculo admoveatur ejusque effectus exploretur: reliquorum quoque sensuum irritabilitas examinetur mediis sternutatoriis, spiritu salis ammoniaci membrana Schneideriana irritanda aliisque modis. Poterunt etiam aut ostendi remedia, gravissimum dolorem excitantia, aut praeparari; poterunt etiam leviora subito adhiberi. Nam verus epilepticus omni sensu caret. Sunt etiam examinandae vires, quae in ejusmodi statu mirum in modum augeri solent, v. c. ut pollices sine fractionis periculo extendi non possint. Si spuma ore exiisse videatur, videndum est, an non arte hoc factum sit. Etiam respiratio observanda est, an frequens sit, brevis, stertorosa, clangosa et rhonchosa. Pulsus an sit minutus, spasticus, contractus, intermittens. Musculi abdominales an sint contracti, scrotum ad annulum abdominalem retractum, membrum virile erectum. In fine paroxysmi videndum est, an sequantur, quae vulgo locum habent, omnium virium delassatio, somnus profundus, excretionum urinae alvique non voluntaris secessus, an vasa sanguinea capitis per vehementiores congestiones intumescant, et quae sunt alia symptomata, quae in pathologia monstrantur. Quodsi certa sit suspicio fraudis, licebit etiam ad graviora media et corporis quoque castigationes, alioqui crudeles, confugere. Immittatur v. c. in manum simulatoris carbo candens: pungatur corpus acu etc. Nonnunquam etiam baculus repente admotus felicissime simulatam fugat epilepsiam. Afferam exemplum, quod SCHOBELTUS narrat*). Venerat ancilla Quedlinburgum et hortulano cuidam operam suam locaverat.

*) Vid. Pyl's Repertorium für die öffentl. und gerichtl. Arzneywissenschaft Bd. 2. pag. 316.

Post quatuor septimanas cum ob pigritiam gravius objurgata esset, abiit in hortum, projecit se in terram, quasi epilepsia correpta esset. Hortulanus superveniens veram esse epilepsiam credebat eumque poenitebat, quod graviore objurgatione bilem ei movisset et morbum excitasset. Eodem tempore intravit SCHOBELTUS, adnuit ei tacite hortulanus, eumque ad locum adducebat, quo jacebat puella. SCHOBELTO suspecti erant clausi puellae oculi. Itaque magna vi minimum pedis nudi digitum compressit. Haec, quantum poterat, pedes agitabat, caput modice quassabat, brachia contractis pollicibus gravissime jactabat, os spuma carebat. Tunc SCHOBELTUS femora ejus baculo graviter percussit atque sic epilepticum morbum facili negotio sanavit.

§. 3.

b.

Tetanus.

Tetanus ejusque varias formas difficillimum esse simulare, ex natura ejus intelligitur. Si quis tamen eum simulare videatur, satis est, eum diligenter observare. Fieri enim non potest, ut vires corporis ad spasmos ejusmodi vehementiores imitandos diutius intendant, aut partes corporis per aliquod tempus ita immotas teneant, ut in isto morbo fieri solet. Immo satis erit, pulsum tentasse, qui cum in vero morbo tranquillus sit et tam minutus ac tenuis, ut vix sentiri possit, in simulatore ob magnam virium contentionem vehemens et frequens deprehendetur. Ceterum eadem fere, ut in epilepsia observari possunt.

— 7 —
§. 4.

c.

Hydrophobia.

Si quis simulaverit, se ab animali rabido morsum esse, difficilius fuerit, simulationem detegere, si morsus aliquis adsit, sed desit animal, a quo morsum se esse dicat. Interea incipiat cura necessaria ad sananda vulnera, rabidorum canum dentibus facta. Nam si vulnus altius scarifices, aut exustionem ejus mineris, aut pulverem cantharidum, butyrum antimonii et ejusmodi alia vulnere infundas, et diacetam parcissimam imperes, simulator mox confitebitur. Praeterea videndum est, an in ipso vulnere aut in vestibis vestigia sputi aut sanguinis reperiuntur. Si ipsum animal, a quo se morsum esse dicat, adsit, vivum diligenter observetur, mortui cadaver accurate examinetur eo modo, quem ars praecipit, et exquirantur omnia, ex quibus intelligi possit, animal hydrophobia laborasse. Denique recte perpendendum est, an causa simulationis adsit, an maligna homines astutia suspicionem pariat.

§. 5.

d.

Chorea St. Viti aliique morbi spastici.

Chorea St. Viti cum plerumque primis adolescentiae annis, cum puberes fiunt, accidere soleat, si quis istum morbum adfectasse videatur, aetatis ejus ratio habeatur, et quaeratur, an causae morbi adsint. Omnino difficillimum fuerit, hujus morbi simulatione fallere medicum, qui verum semel observaverit. Sufficiat enim observasse motus aegroti, qui sunt isti morbo proprii. Si v. c. potum propinatum ori admo-
verit alia ratione, quam quae propria est iis, qui eo morbo vere laborant, fraus certa

est. VOGELIUS *) observat, in hominibus hoc morbo laborantibus per somnum frequentem tendinum subsultum locum habere, qui si deficiat, simulationis certam oriri suspicionem. FIDELIS **) narrat, eorum, qui saltationem hominum a tarantula ictorum simulant, fraudem deprehendi posse, si camera lumine tantum illustrata includantur et observetur an post occasum solis saltare pergant, quoniam notissimum esset, illorum genus, qui interdum perpetuo corporis motu saltantes sese exagitant, occiduo sole quietem capere.

Reliqui morbi spasmodici, ut hysteria, hypochondria, ex notis indicibus pathognomicis dijudicari possunt. Itaque inprimis habitum aegroti observare oportet, an functiones organorum abdominis, ut fit, interruptae sint. Pulsus quoque in paroxysmo magnum indicium praebet. Si adhibitis remediis antihystericeis nulla mutatio, multa suspicio oritur. Saepius enim totum morbum nonnullis potionibus ex asa foetida, absynthii extracto cum aqua valerianae tolli, ipse observavi. In defectu animae simulato saepe efficacissimum simulationis deprehendendae remedium sunt pennae adustae, spiritus salis ammoniaci, oleum animale foetidum naribus inunctum et remedia sternutatoria. Si manifesta fraus fuerit, adhiberi possunt remedia, dolores facientia, verbera, urticae, adustio etc.

§. 6.

e.

Vitia sensuum externorum.

Vitia sensuum saepissime simulantur; sed saepe difficile est fraudem deprehendere, si cautus et pertinax simulator fuerit. Oculorum vitia accurata inspectione cognoscere oportet, inprimis cataractam, in qua veram lentis crystallinae obscuritatem adesse

*) In Diss. de simulatis morbis p. 17.

**) De relationibus medicorum. p. 217.

necesse est. Si amaurosis simulatur, aegrotus subito ex obscuro loco in claram lucem protrahatur. Sic enim statim ostendet, pupillam mutari. Poterit etiam fraus detegi, si medicus ad hominem caecitatem simulantem accedat, quasi oculum instrumentis acutis perforare velit. Sed si quis simulat brevioris visum aut oculorum debilitatem, vix detegi fraus potest, nisi constet, hominem antea acuto visu gavisum esse, aut astutia adhibita, veluti si medicus praebeat aegroto orbiculos, e vitro vulgari factos, naribus aegroti imponat, quasi visum adjuturos, atque is melius se videre imprudens simulet, aut nimis acutos, qui offendunt oculos hominum omnium, quorum sanus est visus. Si diuturnae oculorum inflammationes simulentur, aegroti constitutio consideranda est, et oculi aptis remediis demulcendi sunt. Interea observe-
tur simulator, ne oculum clam irriter: ipse rubor fraudem arguet, si laetior fuerit, quam in diuturnis inflammationibus esse solet, nec totum oculum occupet, sed in nonnullis ejus partibus vehementior est. Narrat BORGENIUS *), fraudem juvenis, in supplementum exercitus lecti, hoc modo detectam esse. Erat ille corpore vegeto, et valetudine manifesta gaudebat, sed querebatur, oculum dextrum jam per annum integrum ita inflammatum esse, ut eo uti non posset. Mali scrophulosi in perfecta constitutione nulla suspicio erat; recentissimus oculi rubor inferiorem tantum pupulae partem, quae palpebra tegebatur, distinctissime occupabat. Cum oculus accuratius examinaretur, inter pupulam et palpebram inferiorem corpusculum depressum ad magnitudinem grani hordei deprehendebatur. Quod cum facili negotio volsella extractum esset, erat minuta emplastri cantharidum particula, quam ille hoc ipso die oculo inseruerat, et per aliquot horas in eo depresserat. — Hominem inde a pueritia surdum ideoque mutum an quis tantum simulet se esse, ita cognoscendum est, ut de infantia ejus quaeratur: nam utriusque facultatis defectus, nisi veluti connatus sit, rarius conjunctus reperitur. Praeterea instrumenta loquelaе examinanda sunt, et vox observanda, quam cum ejulatu proprio ejusmodi miseri edere solent. Observandus etiam est status animi: nam in hominibus cum surditate natis, nisi

*) In Kopp's Jahrb. Bd. 2. S. 246.

diligentius culti fuerint, magna hebetudo animi et insipientia deprehenditur. Proderit quoque dormientium observatio, an per somnum loquantur, sclopeti explosio, incendii simulati tumultus etc. aut voce submissa, quam exaudire simulator possit, dicat medicus ad alium quempiam, remediis gravissimos dolores excitantibus ad hunc morbum tollendum esse opus eaque statim adhibitum iri, v. c. auribus ipsique ori liquores erodentes infundendos esse. Sæpe fames sitisque usum linguae reddet. Si surditas tantum simuletur, eadem fere remedia adhibenda sunt. Praeterea simulet medicus, se operationem chirurgicam facturum, admoveat instrumenta videatque, quomodo se habeat aegrotus. Nonnunquam interrogatio repentina de re, quae interest aegroti, fraudem prodet. Si quis mutum se esse simulet, fauces examinentur, lingua retracta protrahatur: si linguam resolutam simulaverit, irritantia, remedia, emplastra cantharidum, moxa etc. adhibeantur. Si constat impostorem brevi ante locutum esse, baculus optimum remedium erit. WALDSCHMIEDTIUS*) furi deprehenso, qui surdum se mutumque simulabat, omnesque cibos respuebat, quarto statim die auditum et loquelam reddidit, cum acerrimos liquores ori auribusque infudisset, ejusque ori cibos vi ingessisset. — Tiro quidam lectus, simulatam esse surditatem, prodebat hoc modo. Centurio ad hominem ordines servantem accedebat, eique in aurem dicebat: tu! pudeat te, braccas apertas habes. Ille repente braccas claudere studuit. HELBIG**) militis veterani exemplum adfert, qui ex aliquo inde tempore de auditu tardo querebatur, qui tamen nequaquam ipsum impediebat, quo minus vices recte obiret suas. Mense exacto surditas ipsum oppressit. In nosocomium recepto praescribebantur medicamenta sudorifera resolventia, derivantia, foci calidi, rubefacientia et vesicatoria, venaesectiones aliaque. Cum enim in aure externa neque corpus peregrinum, neque cerumen aurium induratum reperiretur, homoque neque de dolore, neque de alio sensu quereretur, et corporis constitutione frueba-

*) In diss. inaug. de morb. simulat. ac dissimulat Th. XI. p. 16.

**) Bemerkungen über vorgeschützte Krankheiten, in Rust's Magazin Bd. 6. Heft. 2, p. 197.

tur, si qua alia, sãnissima, malum pro rheumatismo chronico habitum, ea, quam indigavi, ratione tractabatur. Sed incassum adhibebantur omnia; nam aegrotus a fortissima tantum vociferatione videbatur adfici. Quamquam ciborum appetitus optimus erat, atque vires nequaquam fractae, tamen, inprimis cum peregrini nosocomium inviserent, lectum parum reliquit, matutinis autem horis, quibus reliqui aegroti dormibant, surgebat atque hoc modo callide evitabat opportunitatem cum aliis confabulandi. Transactis sic pluribus mensibus jam in eo erat, ut tanquam invalidus miles dmitteretur. Sed HELBIGIUS, fraudem suspicans, eam detegere ita studuit, ut, cum neque amicae cohortationes, neque terror aegroto nec opinanti injectus aliquid ad fraudem deprehendendam conferrent, ad minas confugeret, atque subito ad ejus lectum accedens illi nuntiaret, fraude ipsius jam nunc detecta, poenam ipsum manere, quae ab-omnibus, qui se morbo simulato militiae subtrahere conarentur, sumi soleat: sexcentis nempe virgis ipsum caesum iri. Qui quidem nuncius quamquam animum hõminis manifesto percellere videbatur, tamen simulabant omnes, se id non animadvertere. Media nocte vaferimus homo, ingenti excitato clamore, se post fragorem, qualem tormentum bellicum majus edere solet, vehementissimum in capite perceptum, perfecte audire posse pronuntiavit.

§. 7.

f.

Morbi dolorum vehementia insignes.

Ejusmodi morbi, quo rheumatismus, arthritis, cõxalgia, capitis dentiumque dolores, cardialgia, colici et a calculis pendentes dolores etc. pertinent, facile simulari possunt, cum de doloris sensu adfirmatione tantum aegrotorum certiores reddamur, nec signa adsint, e quibus absentiam doloris simulati cognoscere licet. Fraus igitur uti in universum, ita tunc demum difficillime detegi poterit, cum

a periodice recurrentibus doloribus male haberi se simulant, aut propter dolores cibis subinde abstinere, aut remediis utuntur ingratis et dolores efficientibus, aut denique sese sine cunctatione operationibus chirurgicis subiciunt gravibus et maxime dolentibus. Illustrissimum talis morbi simulati exemplum narravit LENTINUS*). Femina Lüneburgensis, desidia dedita et ex aliorum misericordia commode vivere cupiens de vehementissimo dolore in mamma sinistra conquerebatur, cujus causam a cancro occulto derivabat. Publico sumtu curatio hujus mali suscepta fuit. Nihil plane autem detegi poterat in mamma, quod horum dolorum causam probabilem suppeditare posset. Tamen querelarum nullus finis. Instabat femina precibus ardentissimis, ut, mamma resecta, doloribus acerbissimis finem medici facerent. Tandem hi ipsius votis annuebant. In abscissa mamma nihil omnino morborum deprehendi poterat: vulnus sensim sanabatur. Dum haec curatio instituebatur, laute de beneficiis aliorum, quos tam miserae sortis miserebat feminae, vivebat. Sensim autem hic beneficiorum fons parcius fluere coepit, tandemque prorsus exaruit. Quam ob rem rediit quoque dolorum acerbitas in dextra mamma, qui somno locum concedere nullum, omne ciborum desiderium delere, atque virium robur infringere dicebantur. Denuo medicos efflagitabat, ut alteram quoque mammam resecarent. Priusquam autem haec operatio instituebatur, diligentissime pars adfecta a LENTINO reliquisque, quos in consilium adhibuerat, medicis disquisita fuit. Etsi vero optime valebat femina, nec ut tactu vel paulo rudiore, dolor augeretur, et neque in mamma, neque in glandulis subaxillaribus detegi quidquam posset, unde dolorum origo probabiliter derivari poterat, tamen urgebat femina precibus, ut operatio susciperetur, et cum illius preces repudiarentur, clam chirurgo alii mammam resecandam praebebat. Quamdiu beneficiis cumulabatur, quae a verbi divini ministris publice exorabantur, tamdiu siluere dolores. Sed tandem, persanato vulnere, cum, qui stipem pro ea collegerant, id intermitterent, coepit improba femina, matris vaferrimae consiliis adjuta, alia moliri. Etenim digitos vin-

*) Beiträge zur ausübenden Arzneywissenschaft Th. 1. Leipz. 1797. S. 3. 411.

culis appressit volae manus, sperans, fore, ut immoti aliquamdiu hac ratione digiti tandem motus libertatem amitterent. Cum haec fraus detecta effectum exoptato caruisset, desperabunda atrocissimos simulabat dolores, qui manum dextram occupare dicebatur. Horum vim, vix et ne vix quidem tolerandam vividissimis doloribus depingebat, et simul precibus instabat, ut manus amputaretur. Re ad judicem delata fraus, per sex integros annos continuata detegebatur, atque ergastulo inclusa justam criminis perpetrati poenam luebat.

Ut autem morbos ejusmodi simulatos a veris distinguere possimus, signa eorum pathognomonica accurate cognoscenda sunt, quorum commemorationem ab hoc loco alienam existimo. Quae autem in universum respicienda sunt, ut certus fias, an morbus ejusmodi sit fictus, ea hisce continentur praeceptis. Diligenter ante omnia inquirendum est in causam formamque doloris, nec non in locum, quem occupat, atque comparanda sunt ea, quae percontando cognovimus, cum iis, quae in iisdem morbis veris adesse solent. Homines, de talibus morbis conquerentes, observandi sunt inscii. Si a remediorum usu abhorrent, is non solum ipsis suadendus, sed imperandus est, et eligenda sunt talia, quae pessimi sunt saporis. Neque negligenda est virium consideratio, quas plerumque exserunt medicamenta. Qui doloribus vere laborat aegrotus, is remedia, vel maxime ingrata, haud reformidat. Dein aegrotus sibi relinquendus est, ita tamen, ut inscium observemus. Si enim tunc tranquillus manet, nec gemitus atque querelas edit, fraudis suspicio firmior erit. Porro dolores, qui diu corpus excruciant, vultum immutant adeo, ut, etiamsi ab omnibus omnino querelis aegrotus abstineat, tamen certi esse possimus, eum doloribus angere vehementibus et diuturnis. Ab his quoque vasorum sanguiferorum systema adfici debet. Quare si pulsus abest celer atque concitatus, de dolorum acrimonia praesentia jure meritoque dubitare licebit. Si cibi rite et appetuntur et concoquuntur adeoque corpus minime emaciatum et pallidum; si dolores, ut primum finem exoptatum adsecuti fuerint, cujus obtinendi causa dolores simulasse aegroti videbantur, penitus evanescent, si denique postea nulla vultus immutatio animadverti potest, tunc fere certi esse possumus

de dolorum simulatione. Qui vere doloribus vexantur, minime quieti cubant, sed nunc huc, nunc illuc volvuntur, et de frigoris interni sensu atque inquietudine queruntur. Sed in his signis omnibus perpendendis caute versari nos oportet. Etenim impostores callidiores ea tanta cum arte imitantur, ut deprehendi haud possint. In femina autem Lüneburgensi, cujus exemplum paulo ante adduxi, multa signa aberant, quae si ejus narratio fidem mereri deberet, nequaquam abesse poterant, v. c. macies corporis, facies pallida, pulsus inaequalitas, et ciborum desiderium vel immixtum, vel plane deletum.

In capitis doloribus ad inquietudinem, insomniam, vertiginemque; in pleuritide ad tussim, febrem, brevem respirationem, sputaque sanguine tincta; in cardialgia ad ructus, aquosi laticis colluviem in ore, frequentem, imprimis jejuno ventriculo, vomitum, anxietatem, respirationem, peculiarem corporis antrorsum inclinati statum, ad scrobiculi cordis dolentem attactum, alvum continuo clausam, artuum frigus, parvum denique, spastice contractum, inordinatumque pulsum; in colica ad abdomen nunc tumens, nunc contractum, ad nauseam, vomendi conatus vomitumque ipsum, ad alvum nunc fluentem, nunc adstrictam; in doloribus a calculo ad urinae nunc pallidae, nunc rubrae sedimentum, ejusque nunc nonnisi cum difficultate et guttatim contingentem, nunc penitus suppressam excretionem, denique ad vesicae per catheterem disquisitionem animum animadvertendum esse, nemo non videt.

§. 8.

g.

Morbi nervosi.

Ad hanc morborum classem referenda sunt animi deliquia, carus, lethargus, apoplexia, paralysis, catalepsis atque asphyxia. Horum autem detegendorum ratio longe facilior est, quam eorum, qui antecedenti paragrapho sunt enumerati. Nam his symptomata accedunt, in sensus incidentia, indeque, nisi plane oscitantes obser-

vatores fuerimus, simulati a veris morbis distinguui possunt. *Animi deliquia* ficta sese produnt, si neque faciei color, neque respirationis conditio mutatur, pulsus nimime parvus ac debilis est, nulli adsunt sudores frigidi, corpus potius blando et naturali calore perfunditur. Quemadmodum autem simulata animi deliquia haud difficilia sunt cognitu, ita etiam eorum medela nullum negotium medico facessit. Etenim fortiora errhina, inprimis spiritus salis ammoniaci, pennae combustae, res foetidae naribus admotae, aut remedia cutim irritantia, ut vesicatoria etc., tale animi deliquium citissime tollunt.

Simulatam esse apoplexiam cognoscimus e pulsus respirationisque conditione, e faciei livido, aut obscure rubro colore, et tumescentia, ex perfecta denique omnis sensus motusque absentia. Potest quoque simulatio apoplexiae inde intelligi, quando, qui apoplexia correptum se simulat, subito et ad se redit, et membrorum omnium usum recuperat, nec ullum eorum paralysi adficitur. Si medico de fraude haud certo persuasum est, caveat sibi ab usu fortiorum errhinorum, quippe quae mortem hominis vere apoplectici accelerare possunt. Sed possunt tuius vesicantia fortiora, venaesectio, aut etiam, ZACCHIA *) suasore, cucurbitae multum calefactae, et magna cum vi a corpore avulsae commendari.

Paralysin, post apoplexiam saepe remanentem, simulari scimus, si partes resolutae neque flaccidae, neque frigidae sunt, haud tabescunt, nec sensu motuque carent, arteriarum denique ictus debiles sunt atque tardi. Tunc poterit urticatio, punctura cum acubus, cerae, aut laccae signatoriae liquefactae in cutim instillatio, aut etiam medicatio per nauseam continuo provocatam optimo cum successu adhiberi. Hanc enim medicationem femina, quae dissolutam vitam degebat, et puncturas cum acubus fortiter tulerat, perferre ac tolerare haud potuit, sed fraudem confessa est suam **). Simulatam vesicae urinariae resolutionem, cum involuntaria urinae excretionem conjunctam, manifestat satis magna urinae copia, quam aut ma-

*) Quaestion. medico-legal. Lib. III. Tit. II. Qu. 17. n. 4. p. 295. Francof. ad Moen. 1688.

**) Vid. Horn's Archiv 1809.

tutino tempore catheter detrahit, aut simulator, per horae spatium observatus, sua sponte emittit.

Carum atque lethargum simulatum prodent irritantia fortissima, quae paulo ante ad fictam apoplexiam detegendam commendata sunt.

Asphyxiam quoque simulatione exprimi posse, exemplum probat exploratoris, quem, uti MONTIUS *) narrat, deprehensum atque in carcerem coniectum altero mane asphyxia correptum inveniebant: neque pulsus, neque respirationis vel levissimum aderat vestigium: omnis sensus videbatur plane deletus. Nam ferrum candens et fluida acerrima corpori admota, scarificationes profundiores, acus sub ungues intrusae etc. ne levissimum quidem sensus signum prolicere poterant.

Catalepsin fictam esse adparebit, cum simulator impedire studet, quominus artus flectantur; cum hi statum sua sponte relinquunt, qui ipsis est datus; cum brachium extensum a pondere, quod ipsi adpensum est, non inflectitur, et cum sensus ab igne similibusque stimulis admotis producitur. Qui catalepsi correptus est, finito insultu, id quod plerumque cum profundo gemitu similique inspiratione fieri solet, in ea sermonis actionisve parte pergere debet, quam paroxysmus interrompebat. MARXIUS **) Londini vidit ponderis brachio adpensi gravitate catalepsin detegi simulatam.

§. 9.

h.

Morbi externi.

Horum nonnulli voluntatis imperio produci possunt. Pharmacopolam ipse novi, qui musculorum vi, quotiescunque vellet, femoris utriusque capita ex acetabu-

*) In Kopp's Jahrb. d. Staatsart. Bd. I. p. 395.

**) Marx de spasmis. Halae 1765. §. 19.

lis protrudere valebat, atque hoc modo, quo claudicatio producebatur, militiam evitabat faciendam. CALDANIUS *) juvenem puerumque novit, qui stipem colligebant satis largam, voluntatis imperio nunc costis ita protrusis, ut valde deformes esse viderentur, nunc abdomine ita extenso, ut hydropici apparerent. Utrumque vitium poterat facile cognosci observatis aegrotis somni tempore, quo cessante voluntatis efficientia etiam cessare debebat corporis deformitas.

§. 10.

i.

Morbi animi.

Ut simulatus animi morbus detegatur, opus est, ut omnibus subsidiis utamur, quae psychologia nobis suppeditat. Inprimis nota medico sunt symptomata, cuilibet horum morborum propria; nec frequens ipsi occasio deesse debet, tales homines observandi. Oportet ipsum et a natura singulari ingenii acie ornatum, et longa experientia excultum esse, praeterea vitae usu, atque aliorum fiduciae sibi comparandae peritia pollere.

Si negotium, in animi morbum inquirendi, a magistratu ipsi commissum est, id non nisi bene praeparatus suscipiat. Omnia enim, quae aliquo modo ad aegrotum pertinent, debent medico notissima esse. Quam ob rem cognati atque familiares interrogandi sunt de aegroti parentibus, educatione, vitae transactae ratione, factis ab eo perpetratis, morbisque, quibus antea laboravit. Neque minus nosse refert, an jam prius quidquam observatum fuerit, quod mentis alienatae speciem prae se tulit; an praesens animi morbus subito inciderit; an aliqua adsit simulationis causa. Praeterea quoque aegroti conditio, aetas, temperamentum, mores et quo loco res aegroti

*) In Kopp's Jahrb. I. c.

sint, considerata sunt. Si magistratus jam literis consignavit, quae ad aegrotum spectant, has literas medicus diligenter perlegat: quoniam inde varia saepe haurire potest, quae morbi naturae cognoscendae non solum lucem adfundunt, sed etiam viam monstrant, qua ipsi incedendum erit in aegroti examine instituendo.

Initium autem examinis fieri debet eo tempore, quo medici animus maxime compositus, nec laboribus districtus, nec delassatus, nec emotus est. Vultus imprimis attente considerandus est, quippe qui de animi statu nos certiores reddit. Quaestiones autem, quae aegroto proponuntur, accommodatae sint ejus ingenii viribus; quam ob rem cum illo de rebus ad ejus vitam pertinentibus colloquatur medicus, audiat ex illo narrationes de iis, quae ipsi acciderunt, aut quae ab eo gesta sunt, easque interdum sic interrumpat, ut aut memoriae vim, aut judicii aciem experiundo cognoscat. Hoc ipsum vero aegroti examen saepius, et diversis temporibus instituendum est. Nam caveri debet maximopere, ne judicium nostrum de statu mentis dubio nimium properemus. Quo diutius aegrotum observavimus, et quo plures occasiones nacti sumus, cum illo colloquendi, ejusque agendi rationem animadvertendi, eo firmiori fundamento superstrui poterit nostrum de animi morbo judicium. Inprimis hoc saepius repetitum examen cum propterea necessarium est, quoniam in morbis animi incidunt tempora, quibus homines, de quorum amentia dubitari nequit, optimo rationis usu valere videntur, tum quod simulatores, per longum tempus diligenter observati, personae, cujus partes agunt, interdum obliviscuntur, atque signa commiscent, quae diversis animi morbis propria, iisque a se invicem discernendis idonea judicantur. Qua de re inprimis HOFFBAUERUS *) consulendus est. De hoc argumento summae gravitatis, praeter hunc ipsum virum, adeundi sunt PLATNERUS, **) REILIUS, HEINROTHUS, alique.

*) Psychologie in ihren Hauptanwendungen auf die Rechtspflege Hal. 1808. p. 150.

**) Quaestion. med. forens.

Noctambulismus. Somnambulismus.

Noctambulandi morbus saepe simulari solet, ut sub ejus praetextu partim actiones perficiantur, quae alias aut plane non, aut difficiliter perfici poterant, partim excusatio factorum inveniatur, quae alias haud impunita committuntur. Si v. c. quis, amplexuum amasiae cupidus, lecti socium fallere cupit, noctu saepius surgit, ambulat huc illuc, iterumque lectum petit, noctambulismum praetexens, usque dum lecti socium hisce nocturnis obambulationibus ita adsuefecit, ut eas haud amplius curet, sed simulatori suam amasiam tuto invisendi opportunitatem concedat. Aut si quis contubernalem impune depectere cupit, poterit etiam somnambulandi morbo abuti, ita, ut, cum ipsi lis ob plagas alteri inflictas intenditur, contendat, se plane inscium hoc facinus perpetrasse, cum sit somnambulans.

Quando igitur hic ipse morbus ob allatas similesque causas simulatur, inquirendum est, an homo jam morbi hujus insultibus fuerit obnoxius, et quo inprimis tempore illi ingruere soleant. Nam saepe evenit, ut unico insultu totus morbus finiatur. Tale exemplum ipse in contubernali expertus sum, qui, temperamento sanguineo, et corporis constitutione sana et robusta fruens, post animi pathema vehementissimum, quo eo ipso die commotus fuerat, noctu lectum subito relinquebat, huc illuc cursitabat, actionibusque indulgebat mirandis, meis acclamationibus expergefactus ubivis impingebat, et, quo esset, ignorabat, nec lectum invenire poterat suum. Postea morbus nunquam rediit.

Si dubii sumus de morbi natura, an simuletur, nec ne, homo diligentissime observandus erit in morbi paroxysmo: nam extra insultum difficillima erit solutio quaestionis de morbi natura. Morbum enim somnambulandi vere adesse, intelligimus, quando homo sese sine haesitatione et titubatione omnibus exponit periculis, quae vigilantibus maximum terrorem allatura essent. Expergefactus nescit, quo se vertat, pudet ipsum morbi et ob illum tristitia adficitur. Sin nomine suo vocatus actio-

nes, quas antea perfecerat, tranquillus peragit, nec perterritus humum petit, morbum simulari constat. Concessit natura nonnullis hominibus adeo tenues et pellucidas palpebras, ut, illis clausis, corpora extus obvia conspicerere possint. Quam quidem palpebrarum conditionem restiarius quidam *) eo abutebatur, ut, somnambulatione simulata, stipem peteret. Cujusmodi palpebrarum rationis suspicio si locum habet, homo jubendus est, ut, antequam cubitum iverit, palpebras densa obtegat vitta.

Magnam cum somnambulandi morbo similitudinem alit somnus magneticus, qui vulgo somnambulismus solet vocari. Qui an vere adsit, nec ne, a viris explorandus est prudentibus, et ab omni partium studio alienis. Solent enim inprimis medici juniores, qui mori serviunt, et observationibus, omnem fidem excedentibus, aliquam nominis sui famam aucupantur, promptissimi esse ad homines pro somnambulis declarandos, qui non nisi scenam ludere, atque observatorum credulitate abuti cupiunt. His medicis minime judicium ferre convenit de somni magnetici praesentia.

Cognoscimus autem, illum corporis animique statum adesse, cum nervorum sensibilitas et vires animi ita subito adauctae reperiantur, ut illa omnium sensuum externorum efficientiam incredibili modo intendat, hae autem adeo excultae sint, ut neque institutioni acceptae, neque animi cultui respondeant. Cavendum autem est, ne, quae de utroque leguntur, miras narrationes in libris, a fautoribus hujus phaenomeni conscriptis, huc trahamus v. c. literas obsignatas lectas esse a somnambula aut impositas scrobiculo cordis, aut per digitorum apices, qui si quando locum epistolae, quam legere haud poterant id, quod etiam oculis hebetioribus interdum accidere solet, prehenderent, statim vitri ocularis orbiculis digitorum dorso imposito eam videlicet visus aciem accipiebant, ut sine cunctatione hunc quoque epistolae locum legere possent; aut puellam rusticam carminibus ex tempore pangendis operam dedisse, lin-

*) Vid. Ueber Träume u. Nachtwandler.

gua peregrina usam fuisse, futura praedixisse, res in remotioribus regionibus gestas enarrasse et quae sunt alia. — Caeterum nisi fraus adeo manifesta fuerit, ut magistratus animadversionem mereatur, aut crimini committendo opportunitatem prae- buerit, raro ejusmodi homines traduntur medico forensi, ut de iis judicium ferat suum. Qua de caussa nolo diutius in hoc haerere argumento.

§. 12.

l.

N o s t a l g i a.

Qui hunc morbum simulant, inter milites inprimis saepissime obvium, ii pul- sum habent maxime naturalem, viribus valent, cibos appetunt, ut homines sani, et corporis habitus, minime immutatus, optimae sanitatis testis est. Medicus contra, de hoc morbo judicaturus, respiciat, praeter allata morbi simulati signa, praecipue mores hominis, et quas morbi praetexat caussas, atque ut hominem ad fraudis con- fessionem adigat, eum victu parcissimo et medicamentis ingratisissimi saporis uti jubeat.

§. 13.

m.

I n c a n t a t i o n e s e t d i a b o l i i n c o r p u s h u m a n u m p o t e s t a s.

Homines, qui vere sibi persuadent, ut magicis artibus capti aut a diabolo ipso obsessi sint, ad melancholicos pertinere et, quemadmodum hi, curandos esse, extra omnem dubitationem positum est. Ut vero simulationem distinguat medicus a vera melancholia, signa, quibus haec cognosci potest, accurate nosse debet. Si suspicio simulationis tanta est, ut parum vel nihil omnino a certitudine absit, omnia adhibenda

sunt, quae ad fraudis confessionem facilitandam commode possunt adhiberi, nec parcendum adeo verberibus, quae daemonem impurum fere semper melius e corpore hominis expellunt, quam carmina magica atque aquae lustralis adpersio.

§. 14.

n.

Abstinentia ab omni cibo potuque diuturna.

Haud omnino ad fabulas referenda esse exempla hominum animaliumque aliorum, quae diu sine omni alimentorum usu vitam transegerunt, observationes multae virorum fide dignissimorum docent, et confirmant. Novi anatis exemplum, quae tredecim dies furno inclusa sine omni cibo potuque transegerat, et viva inde, quamvis valde debilis, protrahebatur. Ex ephemeridibus publicis quoque metallorum fossores, qui a montis ruina obruebantur, aliquando per septem dies sine cibo potuque perdurasse constat, usque dum effossi praesentissimum mortis periculum effugerent. Sed nec minus certum est, hanc plenariam et per longius adhuc tempus protractam a cibis potuque abstinentiam saepissime fingi ab hominibus, qui hoc quasi miraculo omnium oculos in se convertere, atque hoc modo aut sanctitatis praecipuae gloria beari, aut de aliorum hominum beneficiis commodam et ab omni labore vacuum vitam vivere cupiunt. Exemplorum talium multitudinem in promptu habeo, de quibus haec tantum pauca decerpere lubet.

ANNAM quidem MARIAM ZETTLERIAM per decem annos jejunasse testatur I. G. HOESZLE*). ANNAM MOORE quinquennem in ediam perpessam esse referunt Diarii medico-chirurgici Edinensis auctores**). ANNAM MONICAM MUTSCH-

*) Krankengesch. d. A. M. Zettlerin, welche zehn Jahre ohne Speise und Trank lebte. Dillingen. 1780.

**) Vol. VIII. & IX. Cf. etiam an examination of the imposture of Anne Moore called the fasting woman of Titchbury By D. Henderson, London. 8.

LERIAM per duo de viginti menses ab omnibus alimentis abstinuisse, fuere, qui contenderent. *) Denique ANNA MARIA KIENKERIA eandem inediae longae scenam adeo perite lusit, ut SCHMIDTMANNUS, simulatrici fidem habens, peculiari libro tam diuturni jejunii causam e legibus oeconomiae animalis repetere atque explicare studeret. **)

Homines autem, qui nihil omnino ciborum per longum temporis spatium adsumunt, viribus sensim exhauriuntur, emacianturque, faciei color luridus fit, oculi splendorem amittunt suum; debilitas adeo increscit, ut lectum relinquere nequeant, et vel levissimo motu animi deliquium patiantur; cutis, transpiratione suppressa, sicca et quasi pergamenea; pulsus parvus, debilis atque acceleratus, oris foetor gravis, urina alvusque vel parcissima, vel nulla; excrementa omnia, si qua exeunt, maxime foetent.

Quae quidem signa, si aut omnia, aut pleraque desunt, indicant, jejunium esse fictum. Itaque simulatores ejusmodi strenue custodiendi sunt, ne vel ciborum minimum ipsis suggeri queat. Custodes aut diligenter eligendi sunt; maxime enim attenti, indefessi, somno haud indulgentes esse, nec cum simulatore conspirare debent. Tales cum KIENKERIAE adderentur a SCHELVERO, brevi fraudem confessa est. Famis enim, multo magis autem sitis vehementia, quam nunc fenestram aperiens, nunc aqua pauca os colluens lenire non poterat, veritatem ipsi tandem extorquebat. Praeter custodes neque consanguinei, neque familiares, neque alii ad simulatoris lectum admittantur, ut omne erroris periculum avertatur.

*) Fr. J. Ph. Hofer's med. Gedanken v. d. in öffentl. Zeit. angezeigten so seltenen, als merkwürdigen Zustande d. A. Monika Mutschlerin. Ulm 1774. Staravasnig Abhandl. von d. ausserordentlichen Fasten d. A. M. Mutschlerin. 1. Bd. Freyburg. 1780. 2. Bd. Wien. 1782.

**) L. I. Schmidtman, merkwürdige Geschichte eines jungen Mädchens, die bereits XVIII Monate ohne Speisen und Getränke lebt, nebst pathol. und phys. Bemerkungen, Hannov. 1810.

Rerum insolitarum deglutitio.

Sunt, qui, ut aut vitae suae finem faciant, aut victum quaerant, res insolitas devorent, aut devorasse videantur. Cultros, lapides, metallica corpora etc. deglutita legimus *). LICHTENBERGIUS hominem ad remos damnatum narrat, tantam ferri, lapidumque vim ventriculo, mortis sibi consciscendae causa, ingessisse, ut, cum post mortem cadaver dissecaretur, ventriculus ob magnum devoratarum rerum pondus in pelvis cavitate reperiretur. Nonnulli horum hominum dira necessitate coacti lapides deglutiunt, ut famem imperiosam et fere insanam paulisper extinguant; id quod in polyphagis locum habebat, quorum historiam VOGELIUS **) et BOEHMERUS ***) literis mandarunt. Quorum quidem hominum miseram sortem non nisi dolere potest medicus: nam nihil fraudis hic subest, quod investigare investigatumque in lucem protrahere queat. Aliter autem res se habet, cum homines, qui quaestus causa ejusmodi corpora devorant, aut potius devorasse videntur, medico examinandi a magistratu traduntur. Tunc enim videndum est, an ciborum desiderium sit naturale; qui cibi ab iis adsumantur, an in faecibus quoddam adsumptorum vestigium reperiatur. Loca, in quibus corpora peregrina

*) In Schurig Chylologia Cap. V. §. 67. u. ff. — Cp. Gli. Büttner's aufricht. Unterricht etc. Königsb. (1769) 1776. 4. §. 26. — Krüger in Hufeland's Journal Bd. xiii. 3. V. Valentin Authent. Cas. 17. — Historiae cultrivororum morbi simulati et dissimulati vel suiscidii intentati indices, scripsit D. C. A. C. Gruner. Jen. 1805. 8. — Erklärung des Kunststücks Steine zu zerkaüen v. D. J. H. Schmidt Braunsch. 1798. — Cultrivori Prussici curatio singularis descripta a Dan. Beckero ed. tert. L. B. 1640. — Merkwürdige Krankengesch. eines Mannes d. verschiedene fremde Körper verschlungen. — herausgegeben von Fr. Th. Richter. Hamb. 1803 — Ambr. Paré in Pyl's Repert. Bd. 1. p. 36.

**) Commentatio historico medica de polyphago et lithophago Ilfeldae nuper mortuo et dissecto.

***) Disputatio de polyphago et allotriophago Wittebergensi.

haerere dicuntur, studiose disquirenda sunt. Si homines perpetuis querelis de incommodis, quibus deglutita corpora eos adficiant, medicum angunt et fere opprimunt, atque is de simulatione certus est, fortiora propinet aegrotis remedia purgantia atque emetica, aut ipsis operationem chirurgicam minetur dolorificam. His quidem minis commota et terrefacta celeberrimi quondam patris filia, quae sibi aliisque persuaserat, ut acum devorasset, quae in oesophago haerens ipsi vehementissimos dolores excitaret. Tentabantur omnia, quae commendari solent ad educenda ex oesophago peregrina corpora, aut, nisi hoc effici possit, in ventriculum detrudenda. Cum autem nihil efficeretur, sed aegrota semper de eodem sensu pungente querebatur, qui certum ac finitum oesophagi locum occuparet, pharyngotomia in usum vocabatur. Conveniebant celeberrimi hujus urbis medici atque chirurgi, totus instrumentorum, ad operationem hanc necessariorum, apparatus aegrotae oculis exponebatur, et locus in collo designabatur, ubi vulnus infligi debebat. Dum haec gerebantur, aegrota subito exclamabat laetabunda, omnem dolorem evanuisse atque deglutitioni libertatem redditam esse suam.

§. 16.

p.

F e b r e s.

Qui has simulant, virium imbecillitate, doloribus artuum et capitis etc. fingunt se laborare, atque vaporibus incensi sulphuris, aut allio in anum immisso aut fuco sibi pallidum faciei colorem contrahunt, aut remedia adeo adhibent, quae motus febriles excitare possunt. ZACCHIA*) teste, febris oritur contactu Raiiae torpedinis, aut cantharidum usu. RUELLUS**) et MATTHIOLUS***) contendunt,

*) l. c. L. III. tit. 3. quaest. 3.

**) De natura stirpium L. III. cap. 107.

***) Comment. in Dioscorid. L. IV. cap. 64.

hyoscyami decoctum idem efficere. Plura talia remedia, febrem incendientia, commemorantur a veteribus de medicina forensi scriptoribus. GALENUS *) nobilis viri, Romae degentis, exemplum profert, qui, ut medicos rideret, saepius febriles imitabatur motus.

Cum ejusmodi homo medico traditus est, ut de ejus sanitate ferat judicium, ante omnia in causas morbi, an febris excitandae idoneae sint, nec ne, inquirendum est; lingua inspicienda, utrum muco oblecta, an pura sit, ictusque arteriarum tentandus. Prius autem omnia vestimenta, arctius corpus comprimenda laxanda, faciesque aqua tepida lavanda. In alvum clyster injiciendus est, ut, si acria forte immissa fuerint, ea eliminantur. Dein diligenter sunt ejusmodi homines custodiendi, ne repetere possint irritantium, atque febrem alentium rerum usum. Praeterea ad exacerbationes remissionesque, crises, urinae alvique conditionem respiciendum erit, quae rei dubiae atque obscurae clarissimam lucem adfundere possunt. Quibus quidem omnibus si extra dubitationem positum fuerit, febrem esse simulatam, aegrotum medicus magnam aquae copiam bibere jubeat, atque remediis nauseam continuam efficientibus eum ita vexet, ut fraudem tandem confiteatur.

§. 17.

q.

Sanguinis profluvia.

Ea an simulata fuerint, nec ne, medicus, modo debitam adhibuerit animi attentionem, haud difficulter poterit definire. Si sputum sanguinis simulatur, ante omnia oris cavitas et gingivae inspiciendae sunt, dein jubendi sunt aegroti, ut sugendo ex gingivis extrahant sanguinem; denique os aceto colluendum est. Vo-

*) De praesag. ex pulsib. L. I. cap. 1.

mitus cruentus cum vehementi tussi conjunctus esse debet, quae semper sanguinem ejectum antecedit. Dein sanguinis conditio diligenter perquirenda est. Si enim sputa rubro colore tincta sanguinea esse dicuntur, color eorum cum colore sanguinis conferatur, dein aquae purae immittantur, in qua si rubedo aequali modo diffunditur, fraudis suspicio adest: nam sanguis in aquam immissus fibrosam partem pigmentumque sanguineum in se haud recipit, sed in vasis fundo deponit. Quae quidem differentia melius adhuc cognoscitur adfuso acido minerali aut spiritu vini fortiori.

Sanguis in vomitu cruento ejectus plerumque e venis prodit, adeoque ob abundans principium carbonicum nigro colore tinctus est, variaque ratione corruptus. Cum autem interdum etiam arteriae stillent sanguinem, poterit is, nisi diu in ventriculo atque intestinis haeserit, laete ruber, nec coagulatus ejici. Quare ad spectu sanguinis solo iudicium de simulato vomitu cruento firmum ferri nequit. Caeterum reliqua quoque vomitus cruenti signa pathognomonica ad detegendam fraudem multum conferre possunt. Si vomitum cruentum probabili conjectura adducimur, ut credamus, ab haustu sanguinis animalis productum esse, multum aquae tepidae bibatur, atque simulator diligenter observandus, ne novam sanguinis copiam haurire possit. Sanguine per urinae vias excreto, jubeat medicus simulatorem vase vitreo puro urinam coram excipere suam, et si ab acribus medicamentis sanguinoleptam urinam productam fuisse suspicio adest, oleosa atque mucilaginosa remedia propinentur, quae malo huic brevi medebuntur.

Profluvia sanguinis ex ano vix simulari posse videntur: tamen si ejusmodi simulator medico obvenerit, inspiciat anum necesse est, observet diligenter aegrotum, et respiciat ad valetudinis rationem. Nam diuturnum sanguinis profluvium sine insigni virium decremento atque manifestis vasorum sanguine vacuorum signis locum habere nequit.

§. 18.

r.

**Profluvia abnormia aliaeque rerum praeternaturalium
evacuaciones.**

Diarrhoea aliaeque profluvia serosa nonnisi medicamentorum purgantium ope simulari possunt, iisque haud facile quisquam utetur ad alios fallendos, cum horum medicamentorum usus mox omni careat effectu, eumque alvus clausa sequatur. Sed rerum praeternaturalium evacuaciones tanta cum arte saepe simulantur, ut interdum quoque viri gravissimi atque intelligentissimi iis decipiantur. Multae exstant narrationes de crinibus, ossibus, lapillisque ex vesica urinaria, vagina atque ano egestis, atque de vehementissimis doloribus, quos sub evacuatione horum corporum fraudulentum homines percipere simulabant. Praeter illa corpora narrant quoque scriptores, acus ex omnibus corporis partibus exiisse visas, quin adeo animalia viva v. c. ranas, lacertas, serpentes, cancos, insecta eorumque chrysalides etc. vomitu aut alvo evacuata esse. Id quod non omnino in dubitationem vocari posse, exempla docent, a viris probis ac sagacibus memoriae mandata. E quibus pauca tantum delibare placet. SACHSIUS *) quidem feminam novit, quae per aestatem aliquando aquam hauserat paludosam, ut sitim extingueret suam; abdomen inde postea intumuit paulisper, dolores saepe vehementes, cum nausea, vomendi conatibus, vomituque crebro oriebantur, quo rana adultior rejiciebatur. Aliquamdiu post eadem redibant symptomata, quae tandem iterum evanescebant, pluribus ranis vomitu eliminatis. Exper. JOSEPHI, qui fraudem subesse putabat, feminam custodiae tradidit, sed ranae etiam tunc evomebantur: mercurius sublimatus corrosivus ipsi propinabatur, qui cum praesente JOSEPHI vomitum produceret, simul quoque magnam ranarum juniorum multitudinem expulit. Insecta eorumque chrysalides etiam aut per vomitum, aut per

*) Im XIten Stück d. Journals d. Erfindungen.

alvum secedunt, cujusmodi historiam ACRELIUS *) narrat satis memorabilem, quae minime commentitia esse videtur. Contrarium autem statuendum est de illa historia feminae, quae vermes, insecta atque chrysalides evomit, ab OSIANDRO **), qui hoc mirum videlicet phaenomenon deceptus stupebat, aeri incisa.

Simulatores tales diligenti et severa custodia continendi sunt: priusquam autem huic traduntur, pervestigandae sunt vestes, an contineant ejusmodi corpora, quae ab illis antea aut vomitu, aut per alvum fuere ejecta. Dein accurate considerentur corpora peregrina, an sint talia, quae in corpore animali gigni queant, nec ne. Ut exemplo utar, si lapides excernuntur, videndum est, utrum ad silicum genus pertineant, an sint vere calculi urinarii, qui sese colore, forma, atque chemica mixtione a reliquis distinguunt. Si corpora peregrina ejus sunt naturae, ut in corpore humano generari nequeant, fraus in aperto posita est, et summa credulitas et inconsiderantia requiritur medici, si a tali impostore decipi debet. Quo referendum est medici I...n exemplum, qui a Iudaea, Landsbergae ad Wartham vivente, in pudendum errorem inducebatur, cum ossa et carnes anatum, quae, cum audacia feminae longius procederet, assatae adeo erant, e vagina proferrentur ***).

§. 19.

5.

Cachexiae aliique morbi atrophici.

Qui quidem morbi brevi symptomatibus cognoscuntur, quae iis' peculiaris esse solent. Si obvenerit homo, cujus adspectus atque faciei color valde distet a na-

*) Vid. Acta scient. reg. soc. nova Upsal. 1799. to. VI. p. 98 sqq. translata in Anserles. Abh. XIX. p. 1534.

**) Krankengesch. ein. Frauensperson, welche verschiedene Insecten, Larven u. Würmer durch Erbrechen u. Stuhlgang von sich gab, beschrieb. v. F. B. Osiander. Mit 1 Kupfer. Götting. 1794.

***) Pyl's Repert. to. I. p. 190.

turali, atque simulationis suspicio vel levissima subsit, lavari aqua tepida, aut aceto multa aqua temperato eum oportet. Simulatus croceo fuce icterus facillime cognoscitur membranae oculi conjunctivae albedine. Simulatus abdominis hydrops facillime deprehenditur ejus inspectione atque attactu; oedema autem pedum, quod fortius constrictis femoribus productum est, vinculis solutis evanescit atque hoc modo fraudem prodit. Hydrocephalus quoque externus interdum simulatur: quam ob rem capitis integumenta diligentissime disquirenda sunt, an vulnusculum, inprimis pone aures, adsit, per quod aëris inflatione tumoris capitis, hydrocephalum mentientis, origo effici poterat. Praeter hanc autem integumentorum disquisitionem attactu quoque solo fraus detegi potest. Tumores enim, quorum causa in accumulato aëre reposita est, digitis prementibus alium imprimunt sensum, quam qui a tumore lymphatico producitur.

§. 20.

t.

Morbi cutis aliique externi.

Referendi sunt huc inflammationes, strumae, herniae, prolapsus et quae sunt alia. Plurima harum simulationum exempla in scriptis antiquiorum medicorum leguntur, quae hodie aut rarius occurrunt, aut citius deteguntur. Quam ob rem breviter tantum de via ac ratione agam, qua ejusmodi fraudes detegi poterunt. Si inflammationes atque ulcera ab adhibitis acerbis et rodentibus remediis producta fuere, demulcentia adhiberi debent, et aegroti ita custodiendi sunt, ut usum stimulantium rerum continuare nequeant. HELBIGIUS cistulam e ligno aut laminis ferreis fabrefactam adhiberi jubet, quae ulceribus foedatum membrum ita contineat, ut aegroti omnis aditus ad illud sit praeclusus. Poterunt quoque fasciae tam artificiose necti, ut, si eas solverit aegrotus, ab eo reponi eadem cum arte nequeant: neque minus ea cautione uti potest medicus, ut fascias seu vincula obsignet. Praetera impostor saepe nec opinus, inprimis noctu, opprimendus est, ut metu impediatur, quo minus fraudes

continuet suas. Si aspectus aegroti vegetus est, ulcerorumque margines minime duri atque callo inducti sunt, ea simulata esse certum erit. — Caetera vitia externa, ut luxationes, spinae distorsiones, claudicatio, membra mutilata, herniae, prolapsus, hydrocele, reliqua, adeo facilia sunt cognitu, ut verba de his plura facere nec lubeat nec vacet.
